



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita S. Liborii Episcopi, Calcvo Laborantivm Patroni**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1648**

Pio Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9573**

# PIO LECTORI.



Ria mihi breuiter monenduses, Pie & Beneuole Lector. Cuius consilio & auctoritate inductus hunc scripserim libellum: quâ methodo: quem ad finem.

Illustriss. D. Peregrinus Carlenus Abbas S. Mariæ Amerinus, dum Monasterij, Westphalię primariâ vrbe, agitatae plures per annos pacificationis causâ versatur, ad nephriticos, quibus cruciabatur, dolores leniendos, præsentem S. Liborij, Cenomanorum in Galliâ Episcopi, ac Paderbornensium Patroni, opem expertus, aliquas eius Reliquias à Canonicis Paderbornensibus obtinuit: quæ Ameriam deportatæ, solenni pompâ ab Episcopo eius vrbis Gaudentio Polo, magnâ populi vniuersitate gratulatione, exceptæ, sparsâ celeriter per Umbriam vicinasque provincias famâ, multis & pietatis incitamentum, & remedium istiusmodi ægritudinum extiterunt. Dein edocetus

T

Etus idem *Carlenus*, collectas à me  
plurimorum Sanctorum res gestas,  
earumque iam partem publicatam;  
rogauit ut *S.Liborij Acta* sibi trāsmi-  
terem. Quod eodem ferè tempore  
me quoque poposcit Excellentiss.  
*D.Franciscus Nerlius*, Valderij Comes,  
summi Mantuæ Magistratus Præses,  
Ducissæ Mariæ viduæ Regenti à con-  
silijs interioribus, Sereniss. Ducis  
Mantuani ad eosdem tractatus pacis  
vniuersalis Legatus Plenipotentia-  
rius. Vtique ut obtemperarem, exa-  
minare *S.Liborij Acta* cœpi. Cumque  
ex Illustriss. Episcopo Neritonensi  
*Fabio Chisio*, ad eumdem Monaste-  
riensem conuentum Pontificis Nun-  
tio, didicissem, magnam recens in  
Italiâ aduersus Sanctum hunc exci-  
tatem pietatem; statui, ut pluribus  
gratificarer, eodem hortante atque  
omnem operam conferente *Carleno*,  
Vitam hanc seorsim vulgare, quæ ad  
xxiiij. Iulij inserenda maiori nostro  
operi erit.

Hæc occasio scriptionis. Metho-  
dus vero quæ in editis à nobis ante-  
hac voluminibus, Præmitto disserta-

tionem in nouem distributam para-  
graphos, è quâ constet, quo is seculo  
vixerit, quo deceperit die, quo eius  
agatur in Ecclesiasticis officijs me-  
moria: Vita à quo, quando scripta;  
vnde edita à nobis: Quando Reli-  
quiæ Paderbornam, per quos, quâve  
pompâ allatæ: quâm infelici omine  
ab hæreticis illinc asportatæ, mox  
recuperatæ, novoque ornatu deco-  
ratæ; pars *Carleno* Abbatii donata.  
Tum Vitam eius quadruplicem, ac  
geminam Translationis historiam,  
subijcio, primigenio veterum Au-  
torum stylo; in capita tamen, Lecto-  
rum commodo, diuisa est, si quæ pro-  
lixior erat narratio. Addidi breues  
annotationes, quibus vel variantes in  
manu exaratis codicibus lectiones  
indicantur, si quæ alicuius momenti  
sunt, præsertim in proprijs locorum  
hominumque nominibus; vel alia  
obscuria illustrantur. Vitæ ac  
Translationi, narrationem subnecto  
Reductionis Reliquiarum, à viro no-  
bili descriptam, qui eam curauit.  
Tum tabulas Monasterij confectas,  
Ecclesiæque Amerinæ Acta recito, è  
qui-

quibus constet, veras S. Liborij Reliquias Abbatii Carleno legitimè à Paderbornensibus Canonicis donatas, & piè honorificeque exceptas Ameriæ. Post hæc recens beneficium Romulo Cerighello Amerino Centurioni ab S. Liborio præstitum, ex ipsiusmet Romuli ad Carlenum Abbatem epistolâ, breuiter commemoro: simile item aliud Ioanni Clementino Amerino turmæ equestris Ductori collatum. Ad extremum Hymnos aliquot veteres subnecto, ad S. Liborij laudem scriptos, canique solitos; oden Sapphicam ante annos cxx. compositam; ac quina epigrammata, quæ quidam è Societate nostrâ in S. Liborij honorem cecinit, cum Ameriâ transiret Lauretum proficisciens, deque illius ad nephriticorum dolorum alleuamentum efficaci patrocinio cognovisset.

Illud porrò specto præcipue, ut Dei, qui in Sanctis suis honoratur, gloria amplificetur: ac plurimi auxiliu S. Liborij experiantur, in eâ præsertim, quam dixi, ægritudine. Ad cuius curationem adeò multa, pau-

cis annis , quibus ea tentari cœpi ,  
suggesta mihi remedia sunt , vt si de-  
scribere breuiter omnia velim , non  
exiguum confecturus mihi videar vo-  
lumē. Ad hos enim & cōsimiles mor-  
bos quiuis ferē Medicū se profitetur ,  
veteri Babyloniorū more , quem nar-  
rat in Clio Herodotus. Neque possum  
inficiari , nonnulla ad eos saltem le-  
niendos prodesse: sed nullum lenius  
certiusve Diuinā ope , Sanctorum pa-  
troncio conciliatā. Quod pluribus  
firmare testimonijs exemplisque nūl  
attinet. Plurima hoc in genere fe-  
runtur *S. Drogonis* , qui in Seburgo  
Hannoniæ vico , haud longè ab yrbe  
Valencenis , xiv. Junij colitur , mira-  
cula. *S. Benedictus* quoque , vti Leo  
Ostiensis lib. 2. Chronici Casin. c. 44.  
auctor est , *S. Henrico* Imperatori , acri-  
bus tunc doloribus vexato , apparuit ,  
edixitque fore , vt primo manē tres si-  
mul emitteret grandiusculos lapides , &  
ex tunc dolore isto numquām ultrā deti-  
neretur. Responditque nocturno viso  
euentus : quo ille motus , vnāque Pe-  
legrinus sanctissimus Coloniæ Agrip-  
pinæ Archiepiscopus , plurimiſ opu-  
len-

Ientissimi s̄que donarijs Casinense  
cœnobium ornarunt: quę Leo idem,  
& in Elogijs Abbatum Casinensium  
commemorat Marcus Antonius Sci-  
pio Placentinus.

Celeberrimum porrò, quod ad  
istas calculi curationes attinet, *S.Lib-  
borij* nomen. Neque fruſtrà illius, mi-  
hi crede, quicūmque hūic obnoxius  
es malo, auxilium implorabis. Qui-  
bus autem potissimum actionibus  
virtutum tibi cum fas sit conciliare,  
tua tibi pietas dictabit. Audeo polli-  
ceri, si vel Orationem Dominicam  
ac Salutationem Angelicam ad eius  
honorem quotidie recitaueris, cum  
eā, quam §.§. damus, veteri precatio-  
ne, non caritatum te fructu præsen-  
taneo tantillæ deuotionis.

Vale Lector, & pro me quoque  
Divum precare.

FACVL-